

De resurrectione, & iudicii conditione.

Postremo de conditione resurrectionis, & modo resurgentium, nec non & de iudicii, & misericordiae qualitate breviter disserendum est.

De voce tubae.

Causa enim resurrectionis mortuorum erit vox tubae, quae in adventu iudicis ab omnibus audietur, & cuius virtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent.

De media nocte.

Media autem nocte dicitur venturus, ut ait Augustinus (ubi supra) non pro hora temporis, sed quia tunc venit, cum non speratur.

De memoria electorum, si tunc praecedentia mala teneat.

Hic quaeritur, utrum electis tunc adsit memoria praecedentium malorum, sicut bonorum. Quaedam auctoritates videntur tradere, bonos non habituros tunc memoriam praecedentium malorum, id est peccatorum, vel tormentorum.

(1) Juxta Septuaginta, ubi Vulgata: Vivent mortui tui, in effecti mei resurgent. (2) Vulgata: Antiquus dierum. Ex Edit. P. Nicol. (a) Nempe in Glossa super illud: Misericordias Domini in aeternum cantabo, ubi nomine Cassiodori refertur, sed ex Gregorio sumptum est Lib. IV. Moral. cap. xxxi.

De his qui vivi reperientur.

Quaeri solet, utrum illi quos vivos inveniet Christus, numquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto quo rapiuntur obviam Christo, ad immortalitatem mira celeritate sint transiuri.

Quomodo intelligitur Christus iudex vivorum, & mortuorum.

Hic autem adjiciendum est, dupliciter intelligi quod dicitur: Christus iudicaturus est vivos, & mortuos. Aut enim vivi accipiuntur qui in adventu eius vivi reperientur, licet in raptu moriantur, & mortui qui ante decesserant; vel vivi, & mortui quidem accipiuntur iusti, & iniusti.

Quomodo omnes incorrupti.

Cumque ex praedictis sane credi valeat omnes resurrecturos, credendum est etiam quod omnes resurgent incorrupti, non utique impassibiles, quia mortem patientur aeternam; sed sine diminutione membrorum omnia humani corporis habituri membra, nec tamen gloria, ac (4) spe impassibilitatis induentur.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de sacramentis quae pertinent ad Ecclesiae praesentem statum, in parte ista incipit determinare de his quae pertinent ad Ecclesiae ultimum terminum, scilicet de resurrectione, & de remuneratione.

resurrecturos, credendum est etiam quod omnes resurgent incorrupti, non utique impassibiles. Circa primum duo facit. Primo inquit, utrum omnes moriantur, ut a morte resurgere possint.

QUESTIO I.

Hic quaeruntur quinque. Primo. De ipsa resurrectione. Secundo. De causa ejus. Tertio. De tempore. Quarto. De termino a quo erit resurrectio, quia de termino ad quem in sequenti dicitur.

ARTICULUS I.

Utrum corporum resurrectio sit futura.

IV. cont. Gent. cap. LXXIX. LXXX. & LXXXI. & I. Corinth. xv. lect. VII.

- 1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod corporum resurrectio non sit futura. Job xiv. 12. Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum. Sed caelum nunquam atteretur: quia terra, de qua minus videtur, in aeternum stat; ut patet Eccles. i. Ergo homo mortuus nunquam resurget. 2. Praeterea. Dominus Matth. xxi. 32. probat resurrectionem per auctoritatem illam: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: quia non est Deus

(1) Nicolai & ibidem. (2) Al. in memoria. (3) Al. reddatur. (4) Forte specie.

